18

DE
PARAPHRENITIDE
DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOCTISSIMO RECTORE
ATQUE PRAECLARISSIMIS ORDINIS MEDICI
PRAESIDE DECANO ET PROFESSORIBUS
AD MEDICINAE LAUREAM
IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO
RITE ASSEQUENDAM DIE XXII MENSIS AUGUSTI MDCCCXXII.
UNA CUM ADNEXIS THESIBUS
PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

ALOYSIUS DALL'ACQUA
EX GAZZOLO IN PROVINCIA MANTUANA

PATAVII
EX OFFICINA SOCIORUM SUB TITULO MINERVA
M. DCCC. XXII.

ALOYSIUS DALL'ACQUA

FRATRI SUO JULIO

SALUTEM DICIT

Peto a Te, amantissime Frater, singulari tua fretus benignitate ut mei primos conatus accipias, editurus cum sim meas Medicae artis quasi primitias. Et quoniam continuo ad hanc usque diem, qua finem impositurus sum laboribus, tua in iis consilia vere paterna, tuaque nunquam defuerunt erga me subsidia, quid aliud unquam hoc tibi offerendo, facio, nisi quod tuum est impertiri? Perge, quaeso, me tibi addictum, ut consuesti, moderari; propterea quod si bonis avibus inceperim, non dubito quin exitus felix, fortunatusque sit, quia dimidium facti, ut Ovidii versu utar, qui bene coepit, habet. Vale.

Paraphrenitis morbus est teterrimus et acutus, cujus eminens ac praecipuum symptoma est delirium. Hinc medici fere omnes hunc morbum paraphrenitidem vocant, tamquam, si esset prope phrenitidem, idest prope delirium illud phreniticum quod in morbis capitis familiare est. Sed ut morbus vera paraphrenitis vocari possit, acuta inflammatione correptus esse debet musculus ille insignis, qui cavitatem pectoris ab illa infimi ventris conterminat, et diaphragma seu septum transversum appellatur. Tunc enim delirium quamvis symptoma sit a functione cerebri productum, attamen non derivatur a causa in cerebrum ipsum agenti, sed a causa in diaphragma, sive alio organo remoto residenti.

Raro autem paraphrenitis idiopathica est, aut, ut melius dicam, raro solum septum transversum acuta inflammatione afficitur. Saepius paraphrenitis consequens est, atque conjuncta vel pleuritidi, vel pleuroperipneumoniae, vel hepatitidi. Nec mirum hoc videri debet; nam sive ex eo quod partes illae omnes contiguae sint, sive ex eo quod membranae eas partes involventes sint continuae, cum earum vasa sanguinea ab iisdem truncis proxime derivantur, irritatio phlogistica seu inflammatio facile extendi potest a visceribus illis ad diaphragma, vel ab hoc musculo ad illa viscera. Frequentius vero paraphrenitis symptoma seu potius morbus secundarius est, quia pleura, pulmo, aut hepar, in quibus sanguis per numerosiores vasorum diramationes ingreditur ac circulat, facilius quam diaphragma inflammari posse observantur.

Verum sive diaphragma primiter inflammatione corripiatur, et paraphrenitis sit idiopathica, aut morbus primarius, sive ejus inflammatio subsequatur ac comitetur, tantum inflammationem pleurae pulmonum ac hepatis et paraphrenitis sit symptomatica, aut morbus secundarius, semper delirium producitur, et morbus aut est, aut fit gravissimus, et summe periculosus. Talis enim est textura, conformatio, positio ac usus diaphragmatis in oeconomia animali, ut ejus actio necessarie concurrat in omnibus functionibus, quae ad vitam organicam atque ad vitam animalem pertinere dicuntur. Cum igitur, ut utar doctrinis in hac Universitate perceptis, etiamsi functiones nonnullae manifestius exequantur auxilio tantum systematis vascularis, aliae auxilio tantum systematis nervosi, omnes tamen egeant auxilio duorum insimul illorum systematum, summi momenti in omnibus functionibus esse debet actio diaphragmatis, cum earum motus, influxus ac conspiratio magnopere pendeat a respiratione, ac ideo ab actione diaphragmatis instrumenti in respiratione veluti primarii.

Circa diagnosim ac curam paraphrenitidis pauca addi possunt iis quae a Clinicis observata a longo tempore fuerunt, quaeque ut plurimum conveniunt omnibus inflammationibus. Sed cum nonnullae observationes ac experimenta recentiorum anatomiae ac physiologiae cultorum evidentius manifestant quanti momenti sit diaphragmatis actio in oeconomia animali, et rationem praesertim facilius ac exactius reddere permittunt gravitatis symptomatum hunc morbum sive primarium sive secundarium comitantium, non inutile existimo tractationi paraphrenitidis praemittere ea quae a recentioribus scientiae nostrae progressibus desumi possunt, quaeque si ego ordine ac perspicuitate convenienti exponere potuero, novam melioremque faciem tractationi praebere judicabuntur.

Multis ab hinc annis dictum fuit, quod fibrae musculares, quae transverso illo sepimento quasi intextae quo pectus ipsum imique ventris cavitates distinguuntur, cum

insignes irritationes habeant, locumque teneant multarum partium impulsibus patentem ac quolibet accedente stimulo micare, retrahi contrahique soleant, motuum omnium sedes ac veluti centrum existimantur. Mira profecto et fortasse inconsiderata videri poterat illa propositio, quae tamen deducta fuit ex constanti necessitate respirationis ad vitam conservandam, atque ex mutationibus, quibus continuo tum in eorum vi, tum in eorum duratione ac alternatione motus inspirationis ac expirationis subjiciuntur. Inconsiderata, dixi, videri poterat illa propositio; nam quamvis rejectae fuissent hypotheses adductae ad explicandum qua ratione ac qua causa continuo alternantur motus nunc musculorum ad inspirationem inservientium, nunc illorum ad expirationem concurrentium, et quamvis physiologi vidissent illam alternationem pendere a causis occasionem praebentibus sensationi molestae ac respondenti determinationi, quae in protracta inspiratione ac expiratione distinctius percipitur et manifestatur; attamen adhuc ignorabatur quomodo functio respirationis, quae voluntaria profecto dici debet, continuo producatur tum in somno, tum in apoplexia, aliisque morbis cerebri; in quibus circumstantiis functiones omnes voluntariae aut exequi omnino non possunt, aut in earum exercitio impeditae sunt.

Verum attentius considerati fuerunt motus voluntarii ac involuntarii postremis hisce temporibus, et visum compertumque est quod eorum diversitas non pendeat ex eo quia distincta sensatio ac determinatio praecedat semper motus voluntarios, et numquam involuntarios. Nam quo multoties iisdem impressionibus responderunt nonnullae sensationes aut ideae, atque iisdem sensationibus ac ideis nonnulli motus voluntarii, eo promptius hi motus subsequuntur, ut nullum veluti remaneat tempus facultati in cerebro residenti sive animae attentioni ad distincte percipiendam sensationem ac determinationem, quae motibus illis praecedere profecto debet, atque ideo motus illi ipsi involuntariè fieri videntur. E contra motus omnes, qui in ordinario vitae cursu produci videntur occasione

tantum impressionum quae directe fiunt in organa nonnulla, quique motus ideo involuntarii dicuntur, uti sunt motus cordis, a praecedenti sensatione ac determinatione distincta moderati saltem sunt, et voluntarii judicari possunt, quotiescumque organa illa per proprios nervos accipiant a cerebro ipso impressiones illic solito validius advenientes, et ab illo validius solito ad ea organa progredientes. Hinc motus voluntarii dici semper debent ii qui producuntur ab organis motus occasione impressionum, quae per nervos tantum eis transmitti possunt, et dum reapse data vi transmittuntur, etiamsi non semper distincta sensatio aut determinatio eos motus praecedat; et motus involuntarii sunt ii qui constanter producuntur occasione praesertim impressionum, quae directe fiunt a corporibus admotis aut introductis, et circulantibus per internas illorum organorum cavitates, etiamsi motus illi moderentur aliquoties ab impressionibus etiam per nervos vi solito majori transmissis.

At postremis etiam hisce temporibus attentius examinatae fuerunt circumstantiae, in quibus, dum corpora externa agunt, sive in sensoria externa proprie dicta, sive in internas cavitates, ubi ingrediuntur ac circulant, impressionibus illorum distincte respondent sensationes aut ideae, atque sensationibus aut ideis subsequuntur respondentes motus voluntarii, aut respondentes motuum involuntariorum modificationes. Ex attenta harum circumstantiarum consideratione deductum fuit, quod in nervis nihil aliud inhaereat nisi facultas transmittendi uno veluti temporis ictu impressiones ab una eorum extremitate ad alteram, et quod a distributione tantum nervorum diversorum oriatur nonnullas transmittere impressiones ab organis, in quibus fiunt ad ganglia, ac praesertim ad cerebrum, et alias easdem impressiones accipere in gangliis, ac praesertim in cerebro, atque eas transmittere ad organa, quae subsequentes ac respondentes motus producunt. Sed ut impressiones, dum perveniunt cerebro, occasionem praebeant sensationibus aut ideis a facultate in cerebro residenti, aut ab animae attentione distincte per-

ceptis, atque ut impressiones, dum progrediuntur ad organa motus, occasionem praebeant motibus voluntariis, aut modificationibus motuum involuntariorum, observatum praesertim fuit, oportere quod impressiones non tantum per nervos transmittantur quantum data etiam vi sint. Nam quamvis, usque dum vita viget, impressiones continuo fiant in fere omnibus partibus, in quibus corpora aut circumstantia aut introducta ac circulantia agere possunt, et quamvis a facultate nervis inhaerenti impressiones illae omnes uno eodemque temporis ictu transmitti debeant a partibus, in quibus fiunt ad cerebrum, et a cerebro ad organa motus; attamen cum impressiones datae vis non sint, nec sensationes aut ideae respondent, neo motus subsequuntur, sed ab iis solummodo vitalitas in omnibus partibus conservari tantum videtur prompta ad actionem seu ad vitam manifestandam, aut ad phoenomena vitae producenda occasione validiorum impressionum.

Anatomicae nervorum ac cerebri dissectiones a celeberrimis Gall ac Spurzheim tentatae, atque a doctissimis viris Instituti scientiarum Parisiensis anno 1808 confirmatae, evidentius demonstrarunt qua ratione ab impressionibus omnibus insimul eodem tempore cerebro data vi advenientibus, aut illic varie se se modificantibus, aut reproducentibus facultas in cerebro residens sive anima cum sua attentione sensationes habeat gratas aut molestas, quibus motus subsequuntur aut ad gratas sensationes quantum fieri potest conservandas, aut ad molestas avertendas. Multo magis confirmarunt quod facultas illa sive anima dum sensationes gratas aut molestas a validioribus impressionibus uno eodemque tempore cerebro advenientibus non habet, tunc tantum distinguere possit impressiones quae ex sensoriis externis cerebro adveniunt, atque in eo pariter varie modificantur aut reproducuntur, ut habeat ideas ac determinationes distinctas diversas, quibus motus peculiares respondentes subsequuntur. Nervi enim omnes praesertim in homine proficiscentes tum ab organis in quibus impressiones fieri possunt a corporibus externis, tum ab organis quae motus animales

occasione impressionum illarum producere valent, nervi, inquam, omnes sive directe sive postquam in ganglia convenerint, uniuntur in fasciculos aut medullae spinalis aut medullae oblongatae, et in tractu unionis utriusque medullae insimul veluti funduntur, et centrum maximum constituunt, a quo prodeunt fasciculi veluti novi, quorum filamenta statim divergunt, ac insimul intricantur tum inter se, tum cum filamentis a corticali cerebri ac cerebelli proficiscentes, ut centra multiplicia centro maximo secundaria efformant, ex quorum unione massa cerebri ac cerebelli exurgit.

Omnes igitur impressiones eodem temporis momento centro maximo advenientes cum vel aeque omnes aut nonnullae saltem multo validae sint, tunc impressionem veluti unam in centro illo constituunt, cui sensatio tantum grata aut molesta respondet, prout impressiones impressionem illam compositam constituentes habent aut non habent inter se quandam congruentiam atque proportionem. Tunc profecto facultas in cerebro residens sive anima, cum ejus attentio tota veluti absorpta sit a sensatione illa grata aut molesta, non potest distinguere ac se ipsam consciam reddere determinationum, quibus motus diversi subsequuntur directi aut ad conservandam sensationem gratam, aut ad molestam avertendam. Multo minus etiam tunc potest distinguere impressiones a variis tantum sensoriis externis transmissas, ut ideas habeat ac respondentes determinationes, et iis ideis ac determinationibus peculiares motus subsequantur. Sed cum impressiones uno eodemque tempore ex omnibus partibus centro maximo advenientes, ac in unam veluti conversae non sint illius vis, ut sensatio grata aut molesta satis notabilis respondeat, tunc a praeponderantia, quam impressiones a sensoriis externis acceptae ac transmissae acquirere possunt saltem dum centro maximo perveniunt, facultas in cerebro residens hasce impressiones potest distinguere, ac ideo habere ideas ac determinationes multipliciter diversas, eo magis distinctas quo impressiones illae praeponderantiam majorem acquirere possunt in

distinctis centris centro maximo secundariis, atque cerebrum ac cerebellum constituentibus.

Hac profecto ratione facile intelligitur quod, usquedum centrum nervorum maximum, constitutum nempe ab unione medullae oblongatae cum spinali, sanum sit ac liberum ab omni vexatione, impressiones illic advenientes ac in unam conversae progredi debeant, ac retrograda veluti decompositione distribui omnibus motus organis, ut organa saltem motus involuntarii a propriis stimulis ad convenientem actionem adducantur, etiamsi impressionibus non respondeant ideae aut sensationes, nec istis motus peculiares subsequantur. Et revera in somno, in quo impressiones non sunt satis validae, et in apoplexia, aliisque cerebri morbis, in quibus cerebrum ipsum, cerebellum ac eorum nervi compressioni aut vexationi alicui subjicierunt ac subjacent, sensationes silent, ideae non habentur, et motus sensationibus aut ideis respondentes non subsequuntur; sed cor, canalis alimentorum, aliaqua organa motus involuntarii, si non intensius, rectius plerumque ad actionem adducuntur. At quamvis haec omnia clare pateant, determinandum semper remanebat qua ratione, dum agere nequeant organa motus quae ab impressionibus tantum a centro maximo ac a cerebro per nervos peculiares transmissis in actionem adducuntur, musculi ad respirationem inservientes et praesertim diaphragma continuo inspirationem ac expirationem alterne producant; ut plurimum absque ulla sensatione ac determinatione praecedenti, immo in somno ipso, in apoplexia, aliisque cerebri morbis. Experimenta a celeberrimo Le-Gallois instituta, ac in ejus opere anno 1812 typis commisso exposita, demonstrarunt non solum quod nervi ad musculos respirationi inservientes ac praesertim ad diaphragma distributi proficiscantur a situ cerebri, in quo filamenta nervi vagi desinunt, aut in quo est origo, ut dicunt, nervi vagi; sed quod etiam impressiones, quae fiunt in superficie interna pulmonum, et fortasse in superficie pariter interna cavitatum cordis, quaeque a filamentis nervi vagi trans-

mittuntur centro maximo, causae occasionales sint motuum musculorum respirationi inservientium, et praesertim diaphragmatis. Sectis enim filamentis nervi vagi, tunc animal nec respirat, nec molestiam ullam habet, quam in ipsa etiam expiratione protracta manifestare solet. Intactis vero filamentis nervi vagi, si secantur filamenta nervorum, quae ab origine sit dicta nervi illius prope centrum maximum distribuuntur ad musculos respirationi inservientes, tunc animal pariter non respirat, sed nititur tamen ad respirationem edendam et molestiam pati ostendit. Cum igitur constanter fiant impressiones in superficie interna pulmonum, ac in illa cavitatum cordis, cum illae impressiones etiam numerosissimae sint, atque per filamenta nervi vagi transmissae insimul conveniant, ac veluti condensantur in situ ubi illa filamenta veluti desinunt, atque ubi veluti oriuntur filamenta nervorum ad musculos respirationi inservientes, ac praesertim ad diaphragma distributa, facile videtur ratio, qua impressiones illae directius ac promptius progredi debeant, ut occasionem praebeant motibus horum musculorum, ac praesertim diaphragmatis, etiamsi impressiones non tantae vis sint, ut sensatio et multo minus determinatio distincta praecedat, et etiamsi cerebrum ac cerebellum agere impediantur a compressione aliisque vexationibus.

Observationes tandem anatomicae a celeberrimo Weber in sua dissertatione de nervi sympathici anatomia comparata, anno 1817 in lucem edita, evidentius manifestarunt qua ratione constanter alternari, ac in eorum vi ac duratione continuo mutari debeant motus inspirationis ac expirationis. In vertebratis enim et quo ad vertebratorum sub-divisiones superiores animalia pertinent, et praesertim in homine, Weber observavit quod filamenta tantum nervorum quae proficiscuntur ab organis pectoris ac imi ventris inservientibus praesertim ad assimilationem alimentorum ac fluidorum animalium, et ad horum distributionem, quaeque filamenta constituunt nervum vagum, separatim coeant prope centrum omnium

maximum, et constituunt illud centrum veluti inter secundaria distinctum, a quo directe prodeunt filamenta nervorum progredientia ad musculos respirationis inservientes, et praesertim ad diaphragma. Hinc profecto ad originem sic dictam nervi vagi, etiamsi centrum nervorum peculiare sit, non solum continuo advenire ac condensari debent impressiones quae fiunt in superficie interna pulmonum, ac in illa cavitatum cordis, sed insimul advenire ac condensari debent impressiones illae omnes quae eodem tempore fiunt in superficie interna organorum omnium pectoris ac imi ventris, quaeque ideo concurrere debent ad constituendam impressionem illam compositam, cui respondet aliquoties sensatio grata, sed saepius molesta, et cui progredienti directius ac validius per nervos ad diaphragma distributos, motus hujusce musculi subsequi ac variari continue debent, ut inspiratio ac expiratio alterna diversae sint tum in earum vi, tum in earum duratione ac alternatione.

Ab omnibus hisce miris profecto anatomiae ac physiologiae progressibus, clare, nisi ego plurimum fallor, patet qua ratione motus praesertim diaphragmatis diverso modo sed continuo producatur, dum impressiones, quae continuo per filamenta nervi vagi transmittuntur, centro maximo diversae semper sint, et occasionem continuo praebeant diverso molestiae gradu. Cum vero physiologia doceat quomodo respiratio ac ideo actio diaphragmatis, instrumenti ad respirationem primarii, concurrat ad functiones omnes, illas etiam cerebri ipsius, aut favendas, aut impediendas, et certo modo vitiandas, facile etiam manifestari debet origo symptomatum paraphrenitidem comitantium, et praesertim origo doloris acuti ac delirii. Hisce igitur praemissis, symptomata paraphrenitidis nunc tantum breviter indicabo.

Cognoscitur hic morbus, teste sapientissimo Boerhaavio, primum a febre acutissima, qua aeger corripitur, ex dolore perfodiente intollerabili ad regionem diaphragmatis, qui dolor in respiratione potissimum augetur, in tussi, sternutatione, in repletione stomachi cum nausea,

vomitu, anorexia. Respiratio, incrudescente morbo, fit parva, celer, suffocativa, et erecto capite solummodo peragenda; insuper delirio fere continuo aeger vexatur, hypocondria introrsum revolvuntur, inde convulsionibus risu sardonico, furore agitatur, tandem ut plurimum morbus ad gangrenam transit, et refrigerato corpore aeger ad plures festinat.

Cum vero paraphrenitis fere semper symptomatica evadit, et a praegressa pleuritide ortum ducat, pleuriticis symptomatibus est conjuncta, aut hepatitidis, aut gastritidis, et ideo gravissimus et complicatus morbus evadit.

Ipse Hyppocrates, de hoc morbo verba faciens, ait: » Paraphrenitidis morbus laethalis est; moriuntur enim » tertia aut quarta, ad plurimum septima die: si vero le» vior est, cum principali morbo jùdicatur. »

Singultus cum sensu frigoris, refrigeratione extremarum partium, calore urenti in visceribus internis laethalis est, et gangrenam indicat; superveniunt convulsiones quoque et deliquia, sincopes, quae omnia mortalem morbum praenunciant.

Expositis praecipuis symptomatibus morbosis in paraphrenitide supervenientibus, ad curationem ut me vertam et stricte de illa loquar, observandum est a prudenti Clinico utrum paraphrenitis idiopathica aut symptomatica sit. Quocumque in casu cum morbus sit exquisite sthenicus inflammatorius, acutissimus, eo modo tractari debet, quo alia inflammationum genera tractari solent.

Superveniente igitur paraphrenitide in pleuritide, si vires aegri adhuc vigentes sint, statim ad phlebotomiam confugiendum est, et etiam pluries repetitam pro viribus, et aetate aegrotorum, quibus depletionibus institutis, ad derivantes sanguinis emisiones transeundum est, et praecipue haemorroidalia vasa sunt aperienda. Cavendum vero est a prudenti Medico in paraphrenitide curanda, ne effectus pro causa accipiat, et in aegro paraphrenitidis causa laborante copiosas sanguinis depletiones instituat prope caput, aut a jugularibus, aut a frontalibus venis, sicut in vera phrenitide fieri solet, quae in capite praeci-

puam ac veram causam habet, quoniam fluxus sanguinis ad caput hoc modo magis magisque revocatur.

In paraphrenitide fomentationes potius ad hypocondria locum habere possunt, non tamen calidiores, ne nimium inferant aestum aegrotanti, et delirium potius adaugeant.

Vescicantia in paraphrenitide symptomatica pleuritidis, aliorumque morborum adhiberi possunt; sed si aeger convulsionibus et delirio fortiori exagitetur, vescicantia non sunt admittenda, quia vis irritativa cantaridum graviores turbas excitare possunt in aegro.

Si vero de remediis sic dictis internis sermo sit, antiflogistica primum et attemperantia adhibenda sunt, et etiam leviora minorativa epicratico modo propinata.

Si tandem paraphrenitis cum manifesta pleuritide aut pleuro-pulmoniae conjuncta aut subsecuta sit, eodem modo, quo primarius morbus tractatur, et ipsa tractari debet; et quemadmodum haec praesidia medica omnibus nota sunt, supervacaneum est in ipsis exponendis immorari.

Cum autem forte fortuna aeger ab hoc morbo correptus convaluerit, omnibus illis remediis curativis, praeservativis et diaeteticis tractari debet, quibus convalescentes ab acutissimis morbis correptos diutius Medici solent curare, ut ad perfectam valetudinem, si fieri potest, aegri perducantur.

Thesis prima.

Paraphrenitis idiopatica et solitaria rarissime insurgit, et fere semper symptomatica est, et aliorum morborum acutorum aut thoracis aut imi ventris succedanea, atque cum ipsis complicata est.

Thesis secunda.

Cum paraphrenitis symptomatica fere semper est aut pleuritidis aut hepatitidis, ideo iisdem praesidiis paraphrenitidem mederi oportet.

Dalla Nuova Società Tipografica in Ditta
N. Zanon Bettoni e Compagni.